

Virgil. 2.
Georg.

& bono, & pulchro major adest pulchritudo, & bonitas; illa etenim Arbor ad caelum ramis felicibus exit, quæ candidiores & dulciores fructus tulerit, atque fecundam non unam, sed duplicem, triplicemve ediderit fecundissima, succos influentes excoquere valens ad sapes escarios primario dulces, suaves, pingues, vinosos, & medicos; secundario amarus, austeros, acutos, acres, acerbos, acidus, salios. Aqueitatem porro fructuum improbat Galenus, utpotè nimis fluxilem, & partibus nutriendis minimè adhaerentem, dum inquit, quod hujusmodi aqueitas, celeriter corpus totum permeat, & pervadit, excerniturque tum per cutim, tum per urinas; perinde omnia ejusmodi cibaria medici ritè affirmant pravi esse alimenti: è contra verò consistentiam in fructibus alimentariis crassioribus laudavit dicens, ex ipsis enim alimentum copiosius corpori apponitur, tardius permeans, maximè cum succum in se ipsis habent crassum, aut lentum, aut adstringentem. Accedit fructuum pinguedo, & oleoginositas, quæ humectat utilissimè, mollit, lenit, & cum dulcore in aere itate quadam puriore fundato benignè laxat, concoquit, nutrit, auget & ἀδύμιον amœnitate scilicet naturali nutriens; hinc est, quod hujusmodi fructus comesti corporis non modicum robur inducunt, & animi, disponuntque homines ad promptius, atque facilius exercendum Gymnasticas, atque speculativas percipiendum facultates; quò spectat egregium illud Nasonis

Ovid. l. 15.
metam.
fab. 2.

ἰς τοῦς πᾶσι φῶς
Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges, sunt deducunt ramos
Pondere poma suo, tumidaq; in vitibus vine, &c.
Id experti felicissimè fuere Indorum Sapientes Gymnosophistæ, idque probarunt inter Græcorum Philosophos Zeno, atque Menedemus, qui solis fructibus arboreis victitantes scientificis suis speculationibus liberè magis, atque diutius incubuerunt. Sed multò meliori mentis adspiratione moti Anachoretæ Catholicæ Veritatis Cultores arboreis fructibus procul ab omni Gastrimargia, atque popina contenti, cœlestem plusquam terrenam duxere vitam. Calidiores quidem, & sicciores fructus gustum intrâ propriam naturalitatem plus, minusve mordicant detergenti præditi facultate, expurgante, necnon attenuante: aut amarore mediante viscera aperiunt, penetrant, mundantque & qui terrestitate quadam austera crassi, frigidi, & sicci habent adstringere, adunare, fixare, angustareq; & viscera nimis laxa contrahere. Uredine quadam ulterius urgentes fructus acres, mordicantes altè penetrant, resolvunt, attrahunt non omninò insalubriter, si parcissimè comedantur, quo pacto acidi quoque fructus intra strictæ moderationis limites sumpti languida viscera jucundè confirmabunt, & superfluitates humorum crassas incident; à quorum actionis modo parum dissimiles evadent saluginosi fructus modicè admodum degustati; nam ubi opus fuerit utilissimè siccabunt, contrahent, densabunt, atque à putredine viscera eximent. Extrinseca demum Glabrities, atque Pilositas fructuum accidentariæ differentiarum cum suprascriptis omnibus figuris, coloribus, & gustabilibus qualitatibus inveniri possunt, vel comestibilem, vel absolutè excrementosam, & pro putamine inservientem carnem ambient, quæ acinos, vel ossa contineat, nil refert; quæ verò pilositatem, & hirsutiem excedit spinosa fructuum vestis, si ab extrinsecò ducat originem, tanquam ligni soboles, non autem à fructuosa substantia proveniens, eorum-

dem fructuum nobilitati minimè obesse creditur. Supremum autem differentiarum locum in fructibus occupet sublimitas natalis loci, atq; infernus situs ejusdem; hic infestus, illa felicissima, quia fructus montani, atque è ramis Arborum altioribus prodeutes sapidiores, coloratiores, perfectique magis fiunt; è contra verò in convalibus nascentes, & pedibus arboreis proximiores, quam capitibus, utpote minus elaborati, ii parum excocti alimenti habeantur. Sed ad nominalem Arborum accedamus cognitionem.

Nomina, Etymologiæ, Æquivoca, Denominata.

Arbor nominatenus considerata, ut ex textibus Jurisconsulti non uno in loco patet, appellatione generalissima vites, quog, & Hederas, & Arundines, & salictum continet, ex Spiegelio; Excipitur quæ vento dejecta est, non jam Arboris nomine, sed Ligni comprehendenda, ut in L. ligni de leg. 1. Antiqui porro Arbosem pro Arbore usurpabant, ut & nunc fit, sed poetice magis, quam oratoricè, & in recto solum, non in obliquo; sic Virgilius. Obviaq; hospitibus teneat frondentibus Arbos. Sic appellata est credam, quasi Arvor, seu Arvos more Græcanico ab Arvis, in quibus felicissimè crescit ad fructificationem. Non desunt qui nomen Arboris velint à Robore, seu fortitudine deduci, tanquam totius generis Arborei essentialitate; non potest enim Arbor dari perfecta, nisi & sit robusta. Hinc est quod planta tenella, & neophyta, è semine licet Arboreo, mox in Arboreto, vel alibi nata herbæ tantum nomine à Geoponicis vocanda censetur: Spiegel. in L. certè ff Arb. furt. cef. Germanis Ein Baum; Italis verò, Gallis, & Hispanis nomenclaturam eandem è Latino desumentibus Albero, Arbre, & Arbol respectivè nuncupatur. Græcis τὸ δένδρον appellatur, & inde nos Dendrologiam hoc opus inscripsimus, ut & λιθὸ δένδρον Græci vocant coralium, eò quod sit planta lapidea. Sic & Dendritem Plinius, (ut tot alia Græcorum denominata minus necessaria brevitate ergò omittantur) vocat albam quandam gemmam, seu lapidem figuras Arborum intus à natura delineatas repræsentantem, cujusmodi plures sunt in nostro Musæo, illique idem Author mirandam tribuit virtutem, & est, quod si recondatur sub Arbore cædenda, non patitur securim hebetari. Hebræis verò Hets, vel potius Eb à Virore vocatur Arbor, nimis communiter certè, cum ejusmodi qualitas æquivocè tantum participetur ab Arbore vera, & viva. Nec dissimiliter idem Arboris nomen, Latine duntaxat sumptum, pluribus rebus æquivocum reperitur. Duabus piscium speciebus primò competit; nam Arbor in Gaditano, (Plinius inquit) Oceano piscis est, in tantum vastis dispersus ramis (hi sunt monstrosa, prægrandiaque brachia) ut ex ea causa fretum nunquam intrasse credatur. Idem nomen Rubellioni pisci ab aliquibus quoque tribuitur, quamvis à Rubore, illius scilicet colore melius fuisset deductum, quam ab Arboris forma illi nullatenus competente. Arborem quoque Armeniæ majoris fluvium Cosmographi memorant: Nec nisi translata Arborem in navi collocamus, cum propria nomenclatura malus dicatur, & meritò quidem jure, cum homines, illo mediante, in quamplurima ferantur mortalia pericula, quæ mala sunt ubique deploranda; unde Satyricus ille de mairtimum iter habituro dicebat:

Laoc. Spiegel. in
Lex. Jur. civ.
Virg. Georg. 4.
prop. p. 1.
Festus

Pap. Vocab.

L. 36. c. 12.
G. 37. c. 12.

Sanct. Pagnin. epist. f. 1.

Arbor piscis.

L. 9. c. 4.
Id. l. 32. c. 5.
10. c. 11.
Boss. de fl.

Arbor navis.

Inunc,